



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Cap. 24. De periculo, & commodo rei venditæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78332)

futuram, vendit res suas pretio corrente, aut qui locat domum suam in vrbe in qua est curia regia, sciens breui inde discessuram: vitur enim iure suo præferendi proprium commodum alieno, nec impeditur ex parte rei, cui extrinseci sunt tales defectus, nec ex parte contractus, quia, vt supponimus, fraus, dolus, aut metus non dedit ei causam, nec ex parte pretij, quia, vt item supponimus, est iustum secundum legem, aut communem estimationem.

Inferitur tertio, quod vendens pretio currenti librum quem seip prohibitum iri, peccet, nisi præmoneat emptorem de defectu, propter què prohiberi debet; nã talis defectus est intrinsecus. Inferitur quarto, quod habet Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 89. Si quis vendat rem ob hæresim, vel aliud crimen confiscatam, peccare contra iustitiam, si probabiliter credat condemnationem criminis futuram. Nam is quos defectus est intrinsecus, ob eumq; exponit emptorem periculo perdendi suum pretium. Quamquam si ad eo occultum esset crimen, vt omnino crederetur non esse in iudicio condemnandum, quia cessaret omne eiusmodi periculum, excusationi locus esset, quia cessante causa cesset effectus. Cap. Cum cessante, De appellationibus. Inferuntur quoque alia, de quibus erit similiter iudicandum.

De obligationibus emptoris.

PRÆTER obligationes quæ ex diçis colligi possunt, ob reciprocã naturam venditionis, & emptionis; dantur quædam propriæ emptoris. Prima, qua tenetur iustum pretium solvere integrum tempore constituto. Secunda, qua tenetur restituere, si rem minoris meriti quam sit iustum illius pretium. Tertia, qua tenetur præmonere venditorem de pretio iusto rei vendite. Quod aduerte fieri posse dupliciter, vno modo generaliter, videlicet præmonendo rem plus valere, quam petat, non expresso speciatim illius iusto pretio. Altero modo specialiter, nempe expresse præmonendo quodnam sit iustum pretium.

Atq; priore modo præmonuisse sufficit iudicio Caietani in verbo Emptio, sub initium. Et ratio est, quia audiens rem suam valere plus, quam pro ea petat, nolens cum possit, de iusto pretio inquirere, censetur illud quod plus est, liberaliter donare, si omnis fraus, dolus, & metus absit. Sed minime videtur eidem auctori assentiendum in eo, quod ibidè excusat à peccato dicentem ignorantem; ego à te tanti emam gemmam, si tu mihi libere remittas, vel dones si quid plus valuerit. Nam neutro modo venditorem præmonendo de iusto pretio rei; cũ id ne quidè in genere sit dicere, tua res plus valet. Quocirca ex parte venditoris, qui per inuincibilem ignorantiam errat in eo quod agit, emptio efficitur inuoluntaria; iuxta tritum illud; Nihil volitum, nisi cognitum.

Postremo, emptor si fuerit in culpabili mora pretium soluendi tempore statuto, tenetur perinde ac venditor, tam de leui culpa, quam de lata, & dolo; iuxta legem Custodiã, & legem Si vendita, ff. De periculo, & commodo rei vendite. Et ratio est, quia talis contractus inicitur in bonum vtriusque; vnde fit, vt vterque teneatur diligentiam adhibere, quam adhiberet in re sua, immo exactiorem hoc sensu, quod etsi aliquando soleant homines esse negligentes in suis rebus, non ideo tamen possunt esse circa rem venditam.

Aduerte obiter, venditorem si rem ex aliena pecunia suo nomine emat, illam acquirere sibi, nõ ei cuius erant pecunie, ex lege Si ex ea, Cod. de rei vindicatione. Id quod patitur aliquot exceptiones. Nam emptum ex pecunia Ecclesiæ, est Ecclesiæ, & emptum ex pecunia pupilli, aut minoris à tutore, vel curatore, sit pupilli, aut minoris; ac emptum ab vno coniugum ex pecunia alteri eorum donata, sit eius cuius est eadem pecunia. De quibus videri possunt in verbo Emptio Angelus, §. 12. & Syluester quaest. 22.

CAPVT XXIV.

De periculo, & commodo rei vendite.

SUMMARIVM.

350 Statim ac perfecta est venditio, periculum, & commodum rei vendite perit ad emptorem, nisi venditio sit conditio-
nalis aut re-quirat scripturam.

351 Cuius sit periculum rei, cum venditio facta est sub distinctione, aut indeterminate.

- 352 De qua culpa venditor teneatur, & ad quid, cum fuerit in ora tradendi rem venditam.
- 353 De re vendita que publicatur, & de venditis, qua consuetudine ponderantur & mensurantur.
- 354 De re us que gustari solent.
- 355 De fructibus rei vendite.

DE hac re extat tit. 6. in lib. 18. Digestorum, & 48. in lib. 4. Codicis, de eaque nonnulla habent in verbo emptio Angelus, §. 11. & Syluester quaest. 2. & 3. Trademus autem aliquot documenta.

PRIMUM est. Regulariter statim atque emptio perfecta est modo proposito in præced. num. 248. periculum, & commodum rei vendite, etiam si nondum sit tradita, ad emptorem pertinere. Venditorem enim liberum esse ab obligatione; quidquid acciderit absq; dolo, vel culpa ipsius, post perfectam emptionem, ex lege Id quod, ff. tit. citato, & lege prima, ac ex lege Cum inter, Codic. titulo item citato: atque ex §. Cui autem, Institutis de empt. & vendit. Et ratio est quod de iure gentium, deque mente contrahentium sit, vt celebrato venditionis contractu, res vendita sit emptoris, cũ suis euentibus. Dixi reg. l. riter; quia multi dantur casus in quibus id patitur exceptione, prout sequentia documenta indicabunt.

SECUNDUM est iugur. Cum venditio non fuit pure contracta, sed sub conditione, si res pereat pendente in futurum conditione, periculum illius esse venditoris, non emptoris; ex lege Necessario, ff. cod. tit. vbi ratio tangitur; quod emptio, sicut & stipulatio, facta sub conditione, extinguitur si res pereat pendente conditione. Vbi additur etiam, quo si res non pereat quidem pendente conditione, deterior tamen fiat, damnum erit emptoris, & per consequens erit & commodum, si melioretur.

TERTIUM est. Si venditio fiat in scriptis, periculum ad venditorem ante scripturam perfectam spectare; cũ neuter agere possit aduersus alterum, donec ea perficiatur; ex lege Contractus, ff. De fide instrumentorum. Quod quidem, vt Angelus & Syluester monent; intelligendum est, cum inter ipsos conuenit, vt contractus non ante valeat quam scriptura sit perfecta; ex lege Cum res, Cod. De probationibus. Secus est enim, contractus ab initio simpliciter fiat, & postea ad probationem scriptura conficiatur; ex lege Contrahitur, ff. De pignoribus. Porro scriptura intelligitur esse perfecta, si contrahentibus recitata, lectaue fuerit, ac vtriusque probata; ex citata lege Contractus.

QUARTUM est. Si venditio sit sub alternatione seu dis-
iunctione, v.g. vendo tibi hunc, vel illum equum meum; si vnus eorum dem equorum perierit, tenebitur venditor alterum dare; quia primus perit ipsi. Si vterque perierit, emptor tenebitur posterioris pretium soluere; aut si vterque simul perierit, pretium soluere illius ex duobus quem voluerit; sicut venditor potuit ex duobus superfluitibus dare eum quem voluit; ex lege Si in emptione, §. penult. ff. De contrahenda emptione.

QUINTUM docum. est. Si aliquid venditum est indeterminate, vt tot mensuræ tritici, aut olei, aut tot oves, non designando in iadiuiduo quas oves; tunc si illa pereant ex quibus venditor soluere decreuerat; aut sic deteriorentur, vt non habeant qualitates eas cum quibus emi intelligebantur, venditori ipsi, non autè emptori perire, vel deteriorari. Ratio est, quoniam emptor per talem contractum nullam rem in singulari comparauit sibi; sed solum obtinuit vt traderetur sibi res talis speciei, & qualitatis; neque venditor vllam præse in particulari tenebatur ei dare; sed aliquam indefinite. Vnde fit, vt quæcumque res illius speciei pereat apud venditorem, pereat ipsi, non autem emptori. Idque est, quod Iuris periti aiunt, genus perire non posse; argum. to textus in lege Incendium, Cod. Si certum petatur. Aduerte tamen, si illud quod ita debetur in genere quoad valorem varietur, commodum & incommodum inde resultans pertinere ad emptorem, vt colligitur ex Cap. Nauiganti De vsuris.

Aduerte etiam ex Sylu. in cit. quaest. 3. documentum istud non procedere, quando genus non est determinatum, seu quando venditur certum, de incertis: vt vendo tibi decem sextaria ex hoc dolo, & vnum asinum ex iis quos possideo. Si enim totum quod est in dolo effundatur; aut omnes

alini mei pereant, sine dolo aut culpa mea, teneberis ad pretium 10. sextariorum & vnus asini, necdum solum potero reprobere. Ratio est, quia tunc venditio est rei certa, & vt iuris periti vocant, in specie, vel vt Philosophi, in indiuiduo; cuius perfecta ea vis est, vt vnus contrahentium tanquam emptor pro pretio acquirat ius, quo venditor teneatur in illum transferre dominium eius de quo perfecta est. Sed tamen, quia saltem virtualiter (idem enim valet, vendo tibi vnus ex asinis, quos possideo, ac vendo tibi hunc vel illum, aut 3. vel 4. &c. asinum quem possideo) si incerta illa pereant tantummodo in parte: ita ut superflua que emptori tradantur, debeant ei tradi, iuxta præcedens documentum: vt si venditor domi habeat duos asinos, vnusque moriatur, tradat alterum. Similiter si vini dolium effusum sit bona ex parte, tradet ex residuo decem sextaria, &c. de similibus.

312. **Sextum** documentum est. Ex natura huius contractus venditorem teneri tantum de culpa lata, & leui: non autem de leuissima, aut casu fortuito; ex lege Quod sepe, §. Si res, ff. De contrahenda emptione; & ex lege Si vendita, ff. De periculo, & commodo rei venditæ: p. test tamen ex pacto specialiter omne periculum, etiam casus fortuiti, de quo specialiter conuentum fuerit, ad ipsum pertinere; ex lege Si in venditione, ff. De periculo & commodo rei venditæ.

Septimum documentum est. Si venditor fuerit in mora tradendi rem venditæ, etiam si ea casu fortuito pereat, aut deterioretur, illi perire, aut deteriorari, ex lege Cum res, ff. De legatis 1. §. finali. Quamquam ex Sylu. in præced. quest. 2. disto 9. si eodem modo erat peritura apud emptorem, tunc in foro conscientie eidem periret; ita ut illud tantum procedat, quoad forum externum. Sin autem emptor fuerit in mora, atque causa ne res vendita ei traderetur, periculum pertinere ad ipsum, ex lege Lectos, & lege Illud sciendum est, ff. De periculo, & commodo rei venditæ. Sin demum tam emptor, quam venditor in mora fuerint, posteriorem moram nocere ei, id est, periculum esse illius qui posterior fuerit in mora; ex tir. lege Illud sciendum est. Nempe si post moram venditoris, emptor sit in mora recipiendi rem emptam: vt potest recusans, aut negligens accipere oblatum sibi a venditore; tunc illi, non huic eam perire. Excipe ex Angelo & Sylu. citatis, nisi posterioris moræ prior morosus causa fuerit. Quia sic illa non nocet posteriori moroso.

353. **Octauum** documentum est. Si res vendita publice tur propter delictum venditoris, eam non perire emptori absolute; quia restituendum est illi pretium, si iam soluit, ex lege Si fundus, ff. Locati.

Nonum est. Si id quod absolute, non autem conditionaliter venditum est, consistat in pondere, aut mensura, distinguendum esse. Nam siue gustari soleant, vt vnum, cinamomum, & quedam alia: siue non soleant, vt triticum, massam auri, aliaque multa, duobus modis vendi possunt: altero, ad pondus vel mensuram, vt si dicatur, vendo tibi hoc dolium vini tanto pretio pro vnaquaque amphora, aut vendo tibi aceruum tritici tanto pretio pro vnoquoque modio, aut hoc cinamomum tanto pretio pro qualibet libra. Altero modo, non ad pondus vel mensuram, sed vendendo certo pretio totum aliquid designatum in particulari, vt totum vinum quod est in aliquo dolio pro certo aliquo pretio. Si ergo quæ consistunt in pondere, aut mensura, sunt posteriori modo vendita, eo ipso quod celebratus est contractus, periculum pertinet ad emptorem, nisi venditor illud in se suscepisset, quia tunc censetur res vendita in indiuiduo omnino determinato. Quisimo si nullus esset constitutus terminis in quo traditio fieri deberet, & venditor in se suscepisset periculum rei ea ratione venditæ, hoc ipso, quod emptor gustaret talem rem, si ipsa sit de numero earum quæ gustari solent; periculum illius pertinet ad eundem emptorem: de quo in seq. docum. 11. Quamquam custodia semper ad venditorem pertinebit, nisi aliud conuentum sit, ideoque si ipsius lata, aut leui culpa res pereat, illi peribit. Habentur hæc ex lege Quod sepe, §. In his, ff. De contrahenda venditione & ex lege 2. Cod. De periculo, & commodo rei venditæ, iuncta lege 1. in principio, ff. eod. tit.

Si autem ea quæ consistunt in pondere & mensura, vendantur priori modo, constituto scilicet in pondus aut mensuram eorum pretio (quod idem iudicium est de iis quæ

in numero consistunt, si vendantur constituto in numerum eorum pretio: vt si grex arietum, aut armentum bouum vendantur certo aliquo pretio pro quolibet arietem, aut bouem) tunc post mensurationem, ponderationem, aut numerationem periculum pertinet ad emptorem: ante vero ad venditorem, nisi interuenierit rei venditæ traditio (qua illius dominium transferri docebitur in sequen. ca. 26.) quemadmodum ex communi Doctorum sententia Couarr. notat in lib. practica: in resolut. cap. 3. num. 6. qui toto eod. cap. recte persequitur quæ pertinet ad istiusmodi venditionem, quæ sit in mensura, quem, si lubet, consulte.

Aduerte vero, quod si de communi consensu a venditore & emptore aliquis terminus constitutus fuerit, in quo res vendita mensuranda esset, vel ponderanda, vel numeranda, vel etiam degustanda, si de numero sit earum quæ gustantur, atque per emptorem steterit quominus res ipsa id præstitum sit, periculum deinceps ad ipsum pertinere: nec venditorem teneri nisi de dolo, aut lata culpa, ex lege Si quis, & lege Si per emptorem, ff. De periculo, & commodo rei venditæ.

Decimum documentum est. Si venditor aliquid de bonitate vini affirmauit, per quod emptor sibi peruiserit illud in eadem duraturum, & ante traditionem videtur periculum esse eundem venditoris, etiam si facta sit venditio certa rei, seu in indiuiduo. Quod pariter dicendum est, si venditor sciebat vinum non duraturum, nec admonuit emptorem, ad quem periculum illius iam pertinebat: tunc enim iuxta antedicta cap. 23. venditor tenebitur emptori quanti eius interest admonitum fuisse.

Vndecimum documentum est. In rebus quæ degustari solent, distinguendum esse: vel enim quoad periculum specialiter conuenit inter contrahentes, vt ipsum pertineat ad venditorem, vel contra ad emptorem: & tunc eatenus siue hic, siue ille ipsum sustinebit, quatenus conuentum fuerit: vel certe non conuenit; & tunc vsque ad degustationem periculum erit venditoris; post vero emptoris, quia per degustationem censetur perfecta vini emptio & venditio. Vnde si vina non sint degustata, quantumcumque signata iam sint dolla ab emptore, adhuc periculum erit venditoris, nisi aliud inter eos conuenierit, ex leg. 1. & lege Si quis vina, ff. De periculo, & commodo rei venditæ.

Duodecimum documentum est, de quo Couarr. lib. 1. var. resolutio. cap. 15. esse potest de fructibus rei venditæ: eos qui nascuntur post perfectam venditionem, esse emptoris, adeo ut si venditor moram fecerit in tradenda re vendita, non tantum perceptos, sed etiam eos qui percipi poterant, præstare teneatur, iuxta legem Sires, & legem Si sterilis, §. Cum per venditorem, ff. De actionib. empti & venditi. Et probatur, quia res debet illi fructificari, cum illi pereat, aut deterioretur, iuxta 1. documentum. Neque esset æquitatis consentaneum illos accipi a venditore, si quidem in æqualis esset contrahentium cognitio: quia venditor esset extra omne periculum, & emptor exponeretur periculo, vnde si ille hoc pacificatur vt fructus sibi tradantur, quandiu pretium non fuerit solutum, debet simul suscipere in se rei periculum, si contigerit eam perire, aut deteriorari. Nam ei non debentur ob non solutum pretium quonia ea mora, perinde ac alia iniusta detentio, inducit tantum obligationem ultra capitale, soluendi interesse, quod si nullum interueniat, non possunt alia de causa accipi, quam dilata solutionis, in quo committitur vsura. Videri possunt Sylu. v. v. 2. quest. 11. & Petrus à Nauar. De restitutione lib. 3. cap. 2. n. 152. & aliquot sequentibus.

Porro fructus pendentes tempore venditionis, emptori debentur, nisi aliter conuentum fuerit, ex lege Iulianus, §. Si fructibus, ff. De actionibus empti. Ratio est, quia fructus tunc rei coherentes censentur pars illius, ex lege Fructus pendentes, ff. De rei vindicatione: vnde censentur emi cū re: ideoque emptori debentur, perinde ac ipsam rem, fructus autē separati tempore venditionis, sunt venditoris, ex lege 2. C. De emptionibus empti & venditi: vt signa casa, & ceteri fructus a solo separati & nondū a venditore ipso collecti. Itē accessiones, & partus rei venditæ, & pensiones ex locatione animalium, vel domorum, vel ex operis mancipiorum post factam venditionem, sunt emptoris: cui etiā cedenda sunt actiones. De his enim, & similibus idē dicendum est ac de fructibus agri iam maturis, prout habetur Digestis de actionibus

nibus empti & venditi, lege Iulianis, §. 1. his verbis: Si fructibus iam maturis ager distractus sit, etiam fructus emptori cedere, nisi aliud conuenit, exploratum est. Adhuc, si equus venditur, intelliguntur vendita ornamenta quibus ornatur tempore venditionis, iuxta legem Aediles 2. ff. De aedilitiis edictis, §. vendendi

CAPVT XXV.

De actionibus que nascuntur ex emptione & venditione.

SVMMARIVM

- 356 Actio quedam est ex empto, & quedam ex vendito: ac quid utraque sit.
- 357 Quatenus venditor emptori teneatur de euictione.
- 358 Actio redhibitoria, & actio quanto minoris locum habent tantum quo ad forum externum.
- 359 Varii casus in quibus quis cogi potest ad vendendam rem propriam.

356 D VÆ sunt istiusmodi actiones; vna quæ dicitur actio ex empto, & altera quæ dicitur actio ex vendito: hæc competit venditori ad consequenda ea quæ emptor debet præstare: in eamque veniunt damna, & incommoda quæ venditor passus fuerit ex emptoris mora, & culpa non soluti pretij. Illa vero competit emptori aduersus venditorem, vt tradat rem venditam corpoream cum fructibus, vel accessionibus eiusdem: vel vt quasi tradat rem incorpoream emptam, hoc est, censum, vsum fructum, ius, vel actionem, aliudve cæterorum quæ in iure dicuntur quasi tradi, & quasi possideri.

Completur autem talis actio alias quatuor. Primam, de euictione. Sin. venditor non fuit dominus rei venditæ, & res euincatur, id est, à domino per legitimam probationem in iudicio vindicetur, emptor habet actionem contra venditorem, vt pretium sibi restituat. Secunda, quæ redhibitoria ideo dicitur, quia instituitur ad rehabendum pretium dati. Et est, quia emptor intra sex menses à die celebrati contractus agit ad rescindendum contractum: si vendita sit res habens vitium occultum, quo cognito emptus non esset. Tertia, quæ ex eo dicitur quanto minoris, quod instituitur ad obtinendum à venditore, quanto minoris emptor emisisset, si cognouisset vitium rei quam ille vendidit. Et est quæ emptori conceditur per spatium vnus anni à die celebrati contractus ad repetendum à venditore in foro externo quanto minoris rem venditam vitiosam erat empturus, si vitium sciuisset. Quartam demum, quam præscriptis verbis actionem vocant. Et est quæ si venditor pacta adiecta venditioni non seruauerit, emptor contra eum agit vt is illa impleat.

357 C I R C A actionem autem de euictione aduerte cum Syllu. in verbo Emptio, q. 25. ex glossa, & Panor. ad Cap. finale, De emptione & venditione; venditorem ita teneri emptori de euictione, vti monitus non defendat ipsum, teneatur ad omnes expensas quas idem emptor fecerit in iudicio: siue causam obtinuerit, siue non; exceptis tamen tribus casibus quos vide in præced. 14. dubit. 1. proposit. 2. Aduerte etiam ex eodem Syllu. in sequen. q. 26. etiam si venditor fecerit pactum, quod de euictione non teneatur; ipsum nihilominus iuxta legem ex empto, ff. De actionibus empti, & venditi, ad pretium teneri re euicta: si quidem generaliter sit facta pactio: puta dicendo, à quocumque euincatur res: non item si sit specialiter facta, seu cum conditione, si res euincatur à certa persona, vel in certa causa: quia tunc venditor ipsa re euicta, non tenebitur ad restituendum pretium; ex lege Qui libertatis, in principio, ff. De euictionibus, iuncta glossa ibid.

358 C I R C A actionem redhibitoriam vero, & actionem quanto minoris, aduerte, leges quibus conceduntur, relatas à Lud. Molina in sepe citata tract. 2. disp. 353. conel. 2. non habere locum in conscientia, ea ex parte qua tantummodo spatium sex mensium, aut vnus anni concedunt emptori decepto, ad seruandum se indemnem: quia ex ipsa rei natura venditor obligatur tali indemnitati consulere, aut per rescissionem contractus, aut per augmentum pretij, quantum requiritur, vt hoc censetur iustum: contra quam obligationem statueri tam exiguum tempus præscribendi, durum est, & quod approbare ratio refugit.

HVC REVOCARI POTEST. dubium, an aliquando possit quis cogi re sua vendere? quod tractatur à Syllu. in verbo Emptio, quest. 5. à Couarr. lib. 3. var. resolut. cap. 14. & à Molina in eodem tractat. 2. disp. 341. Respondendum vero est, de iure communi neminem cogendum esse rem suam vendere, ex lege Inuitu, Cod. De contrahenda empt. & venditi.

Excipiuntur tamen aliquot casus. Primus est, quando quis habet seruum communem cum aliis tunc enim potest eum manumittere inuitis focis, si det partem pretij ipsis debitam, lege 1. Cod. De communi seruo manumisso. Secundus est quando quis habet prædium commune cum fratre, si frater vendiderit partem suam, alter potest contra emptorē agere eo modo quo traditur in lege 1. & in lege Ad officium; Cod. De communi diuidendo; quod explicandum relinquitur Iurisconsultis, quorum est proprium. Tertius est, quando quis habet plus iuris in re: tunc enim si is qui minus iuris habet, vendat; cogitur vendere eidem, ex lege Sanctimus, §. Ne autē, Cod. De donationibus. Quartus est, cum quis, rem ad victum pertinentem, venum publice exposuerit, cogitur eam vendere. Similiter qui publice officium aduocationis suscepit; officio Iudicis cogi potest prestare patrocinium litigantibus; dum modo ei congrua stipendia ministrantur, etiam si non habeat publica. Item caupo, & stabularius, qui officium tale publice suscepit, potest officio Iudicis cogi ad hospites excipiendos, pro iusto pretio. Ita habet loco cit. n. t. Couar. Quintus est, quod ratione publicæ necessitatis, & indigentia possit quis cogi ad rem suam vendendam, etiam si non exposuerit venalem; de qua re Couar. in seq. n. tertio. Sextus est, quod cum est annona caritas, ciues cogi possunt frumentum ex agris ciuitatis collectum, ciuibus & oppidanis vendere, non tamen exteris: ita ut detur facultas ciuibus frumentum exteris venditum retrahere eod. pretio oblato. De qua re idem author pluribus in seq. n. 6. Quin etiam ratione talis necessitatis, edicto Pratorum solet frumentum cuiusque inscribi, vt habeat quod sibi, & suæ familiæ necessarium est, quodque superest, teneatur vendere, vt alij habeant quod seminent, vel quod manducant; de quo etiam idem author ibid. Septimus est, quod ratione pietatis publicæ statuatur, vt merces, & res ad victum necessariae, eodem pretio vendantur peregrinis & hospibus cæteris, quo publice incolis venduntur, iuxta cap. 1. De empt. & vendi. Octauus est, quod ratione religionis, dominus omnino compellatur vendere agrum aut domum propriam, si iis sit opus ad constructionem vel amplificationem alicuius Ecclesie, aut Monasterij. De hoc Couar. late in eodem cap. 14. n. 7. & 8. vbi & addit inter cæterea notatu digna, & post eum Molina in citata disp. quod iure prohibitum sit priuatum ædificium sicatolli, vt ex eo videri possint Religiosi, aut Religiosæ intra proprias domos religiose habitantes. Nonus, quem idem Couar. attingit in eodem n. 8. quod ad vendendum agrum vel domum possit etiam quis compelli ratione publicæ vtilitatis; puta via sternenda, rescindenda, muniente fori extruendi, vel amplian di. Qua etiam ratione incolæ & ciues triticum quod Respub. emit, ne illi egestate premerentur, cogi possunt emere eodem pretio, licet caro, quo ipsa emit. Nam in illorum bonum emit, ipsaque potest se indemnem seruare. Similiter iidem cogi possunt ad emendam arma quæ Respub. emit, & illis distribuit ad ipsius defensionem imminente bello periculoso.

359

CAPVT XXVI.

De perfectione emptionis, ac eiusdem rescissione.

SVMMARIVM

- 360 Duo modi quibus venditio perficitur.
- 361 Tria requisita vt venditio sit perfecta sufficienter ad transferendum dominium.
- 362 Quando censenda sit venditio perfecta sine translatione dominij.
- 363 Quid arripe conferant ad perficiendam venditionem.
- 364 Quid sit agendum cum res vendita est duobus.
- 365 Quid specialiter cum venditio fuerit iurata.
- 366 Quid cum vtraque venditio fuerit eiusdem modi.